





*1788, 4  
1093*

ORDINARIUS SENIOR  
AC RELIQVI FACVLTATIS IVRIDICAE  
LIPSIENSIS ASSESSORES  
DVOBVS CANDIDATIS DIGNISSIMIS  
**CAROLO AVGUSTO BREHMIO**

LIPSIENSI  
ADVOCATO IMMATICVLATO  
ET

**CHRISTIANO GOTTLIEB HAVBOLDO**

DRESDENSI

AA. LL. AC PHILOSOPHIAE MAGISTRO

VTRIQVE

IVRIS BACCALAVREO

SVMMOS IN IVRE HONORES

CVM SPE IN COLLEGIO

QVONDAM LOCVM OBTINENDI

DIE XXVI. IVLII A. C. CICDCCCLXXXVIII

COLLATOS INDICVNT

---

PRAEMISSA

ANIMADVERSIONE IVRIS ANTIQVI VII.

GRANDEZZA  
NATURALE E CANTATIVA LIRICALE

DA UNO CANTO DI MUSICA

CARLO AZAGLIO BRIGGIO

TRADUZIONE ITALIANA  
DI ANTONIO GAGNONCA

12

SCENA PRIMA. CANTO. SCENA UNA

Quando l'infelice e pietoso marito  
Vedea la moglie e la figlia morire,  
Era spodestato a morire da solo nel campo  
E non sentiva più il piacere di vivere.  
Tutte le sue speranze erano finite,  
E mentre con i denti serrava la bocca,  
Era costretto a credere che non avesse  
Mai più nulla da sperare.  
Era ormai disperato, e sentiva  
Che non aveva più nulla da sperare.  
Era ormai disperato, e sentiva  
Che non aveva più nulla da sperare.

---

ANIMADVERSIO VII.

I V R I S A N T I Q V I O

Anale<sup>ct</sup>a ad AEMIL. LVD. HOMBERGK ZV VACH  
de collectione Nouellarum a Iustiniano facta  
diatriben.

---

Rem laudabilem fecit Vir, cum administranda republica, tum  
doctrinae ac eruditio[n]is copia clarissimus, CAROLVS FRIDERICVS  
ZEPERNICK, dum haud ita pridem aliquot circa Nouellas Iustiniani  
commentationes, in vnam collectas, praemissa eleganti praefac-  
tione ederet. Inter has eminere videtur Viri Cel. AEMILII LVDO-  
VICI HOMBERGK ZV VACH de collectione Nouellarum a Iustiniano facta  
schediasma, quod cum hucusque ob raritatem a plerisque igno-  
raretur, Cl. Editor eius noua productione gratissimam litteris  
rem fecit. Saltem qui haec praesentia publico nomine scribit,  
mirabiliter laetabatur, esse non solum aliquem, sed doctum etiam  
et omnis eruditio[n]is thesauro repletum, qui eandem opinionem  
tueatur, quam ipse dudum amplexus fuerat. Scilicet proba-  
bile est, ipsum Imperatorem Iustinianum Nouellarum suarum,  
successu temporis seiunctim emissarum, aliquod μονοβιβλον, in  
quod collectae siue coactae essent, edidisse. Quae res quan-

A 2

quam

\* ) Sub iure antiquo id intelligimus, quod progressum est usque ad excidium  
urbis Constantinopelanae, ac redeuntem in Italiam iurisprudentiam.

quam forte magis conjecturarum probabilitate, quam argumentorum certitudine regitur, tamen illae tam proxime veritati accedere videntur, ut inter utramque parum interfit. Profecto, si conjecturis conjecturas addere licet, veniamus in aliquam earum eum HOMBERGIO societatem, et videamus, num forte eius opinioni adhuc aliquod robur addi queat?

Profecto id nobis unusquisque facile dabit, Imperatorem Iustinianum magno sui ipsius amore captum, magna gloriae cupiditate, ex suis rebus gestis capienda, ductum fuisse. Haud leuis ipsis vanitas inerat, ita ut se et bello et pace summum crederet, nullaque re magis, quam memoria operum suorum, delestatetur. Huius rei tot exstant in historia Iustiniana exempla, ut multa afferre superuacaneum sit. In primis vero tum iuris universi emendandi, tum noui condendi, studio quam maxime arsit, tum vero etiam nouarum legum conseruandarum, in primis earum, quas ipse tulerat, diligentissimam curam habuit. Ea causa fuit, cur Codici Iustinianeo suas usque ad id tempus promulgatas constitutiones inferret, eadem quoque causa, cur Codicem repetitae preelectionis conficeret, qui forte lucem non adspexisset, nisi post illum nouas edidisset constitutiones, in primis notissimas quinquaginta decisiones, quae in publico hinc inde vagantes ne interirent, haud leue periculum erat, nisi in novo Codice collectae conseruarentur. Cum igitur post Codicem repetitae preelectionis Iustinianus nihilominus studii legislatorii non pertaesus esset, verum et postea, proximis statim membris initio capto, et ita sequentibus annis continuatione facta, varias hinc inde nouas in iure emendationes susciperet, et tanto quidem

G. D. P. 1. 1. 2. 1. 2.

quidem numero, ut earum CLXV. vel CLXX. numerentur, quis credat, Iustinianum, alias operum suorum tam amantem, hos solum ingenii sui foetus deserturum ac liberis quasi posterioribus non idem, quod primogenitis, beneficium tributurum, eoque facturum fuisse, ut hae leges recens creatae, mox Praefectis Praetorio, mox officiorum magistris, mox Archi-Episcopis et Patriarchis, mox rei priuatae comitibus, mox praefidibus aliisque fuisse in Orientem, siue Occidentem, ac modo in Asiam, Africam, Thraciam aliasque regiones missae, post paucos annos euasit, ac ne memoria quidem tam sanctorum constitutionum foret superfutura? Quod quoniam Iustiniani consilio eiusque priorum factorum amori quam maxime aduersaturum fuisse, iam ex hoc aliquod argumentum peti potest, Iustinianum de iis per collectionem aliquam conseruandis sedulo cogitatum fuisse, omnemque operam daturum, ut quod sibi legislatori semel placuisset, ab interitu vindicaretur, in primis cum hoc aliquando se suscepturum promisisset; id, quod praecipue factum in notissima Constitutione *Cordi nobis* §. 4. qua, quae post haec de novo sancire ipse necessarium ac utile visum fuerit, ea in aliam congregationem, quae nomine Nouellarum Constitutionum significetur, referre pollicitus est, quo non leuidensi arguemento HOMBERGIVS schediasmate laudato iam usus est.

Atque adeo tam prudens Imperator videre poterat, hoc maximum ex republica futurum atque in publicum commodum redundaturum esse. Nouellarum pleraque ius prius, quod Institutionibus Digestis ac Codice repetitae praelectionis continebatur, mutabant, tollebant, supplebant, corrigebant; et quamuis plen-

A 3  
rumque



rumque ad singulos magistratus missae essent, paucis ad populum  
Constantinopolitanum datis, tamen procul dubio Iustiniani in  
omnibus iis consilium hoc erat, ut aliquando vim legis vniuersalis  
acciperent, quale consilium etiam in anterioribus rescriptis fuisse  
videtur, quemadmodum non obscure patet ex dicta Constitutione  
*Cordi nobis, de emendat. Codicis,* atque in primis videri potest in  
quinquaginta Decisionibus, quae quamquam ad solum Ioannem  
Praefectum Praetorio missae, tamen, quoniam veteris iuris ambi-  
guitatem resecare et certum ius facere debebant, natura sua singulis  
subditis scribebantur; cf. cel. RITTER ad Heincc. hist. iur. §. 396.  
Ex his igitur videmus, non solum rem aliquam cumprimis utilem,  
sed necessariam adeo Iustiniano visam fuisse, de seruando pro-  
misso cogitare, et nouellas post codicem repetitae praelectionis  
prodituras in unum volumen colligere, quo singulis subditis  
prodeissent. Iam vero cum anno demum DLXV. e vita decesse-  
rit, inter eas autem, quae hodie prostant nulla inueniatur, de  
qua certo dici posset, eam ultra annum DLIX. latam esse, vid.  
*indicem, quem contexuit HENR. AGYLAEV de dierum annotatione*  
*in nouellarum subscriptione, in laudata Zepernickiana collectione,* videtur  
non contempnenda coniectura esse, eum circa hoc tempus de col-  
ligendis in unum corpus nouis legibus in sui gloriam ac reipu-  
blicae commodum cogitasse, et, quemadmodum olim ex antiquis suis constitutionibus Codicem Iustinianum, sic ex recen-  
tioribus Codicem legum Nouellarum confecisse; imitaturum ea  
re Imperatorem Theodosium iuniorem, quem alias in iure emen-  
dando ac enucleando sibi ad aemulandum proposuerat. Constat  
enim,

*am 1918-07-01 1918-07-01*

*1918-07-01*

enim, eundem Theodosium, Codice suo absoluto, Nouellarum suarum ac Valentiniiani constitutionum syntagma adiecisse.

Ceterum quo lubentius HOMBERGKIO in eo adstipulamur, quod ea Nouellarum collectio, quam sub titulo nouem Collationum hodie Corpori Iuris adiectam videmus, non illa sit a Iustiniano profecta, quod perperam PETR. A LWDWIG in vita Iustini p. 246. not. 199. creditit, eo certius persuasum habemus, fuisse olim aliquam nouellarum constitutionum Iustinianearum compilationem, cuius ipse ille auctor fuerit. Id confirmant in primis testimonia historica ab HOMBERGKIO, ex Theophane, Landulpho Sagace, Cedreno, Malala, atque Harmenopulo prolata, qui, etsi non sunt *σύγχρονοι*, remoti potius per aliquot secula a Iustiniani aevo, tamen non per hoc solum omni fide et auctoritate destituuntur. Etenim hic non agitur de aliquo facto historico, cuius memoria mox praetereat, et de quo viri longa aetate inferiores, tanquam de facto praesenti testimonium dicere vix queunt, verum de libro aliquo, qui per Iustiniani quondam operam lucem vidit, quique sine dubio eo tempore, quo testes isti scribebant, adhuc exstabat, ac manibus palpari poterat. In primis haud leuis vis testimonio HARMENOPVLI inesse censenda est, quippe qui, iudex Thessalonicensis et homo in iurisprudentia Iustiniana peritissimus, omnino praesumendus est, etiam in historia huius iuris sic versatus fuisse, vt in tantum errorem, qui ipsi imputatur, non facile fuerit casurus. Idem dici potest de Mich. Attaliota, cui IO. DAN. RITTER in notis ad Heinecii hist. iur. L. I. §. 396. eandem nobiscum sententiam, et si contenta Pauli Diaconi, Agathiae et Cedreni auctoritate, adoptans, praeter Imp.

Leonem



Leonem, testimonium denunciat dicenti: *ναρὰς πεντάκις εἰδάχοτι βιβλίῳ*, qui iudex et proconsul credendus est hunc librum in manibus habuisse, quod etiam de Imperatore Leone iudicat idem RITTERVS; quamvis ipsa eius citata verba: *Nouellis constitutionibus quas elaborauit, suum quoque locum dedit, aequo ac Matthias Blaſtariſ, ab HOMBERGIO quamvis dubitanter allata: Nouella Constitutiones composuit, et singularem locum illis attribuit, magis de destinato ipsis certo in feriniis imperatoriis loco, quod dicitur in Nou. XXIV. cap. 6. in sacro laterculo ponere, cf. eund. RITIER. l. c. p. 536.* quam de nouellarum legum collectione et μονοβιβλῷ accipi posse videantur.

Quod porro ad loca a Viro celeberrimo ex Nouella XXV. *Hanc itaque legem sacrarum nostrarum constitutionum libro inseri curauimus*, nec non ex vicesima sexta: *Hanc legem sacrarum nostrarum Constitutionum lectio omnibus ostendet, quia et hanc inter eas scribi iussimus, adducta attinet, utriusque aliqua difficultas inest, propterea, quoniam obadhibitum tempus perfectum videri possent editae esse demum post confessam nouellarum, de qua agimus, editionem, et tamen ipsis iam insertae esse prohibentur. Hoc autem si factum, adeoque ipsis iam legis vniuersalis vis fuisse, quid opus erat, eas adhuc Praefecto Praetorio obedientiae causa mittere? Suspicamur itaque, has vel alias quasdam nouas constitutiones Iustinianum tum conscripsisse, dum in ipsa promissa olim congregatione edenda versaretur, ita ut, quoniam haec nondum confessa et absoluta esset, necesse quidem esset eas mittere iis, quibus destinatae erant, at nihil impeditiebat, simul mentionem facere olim promissi nunc adimplendi; id quod clarius adhuc patet ex verbis nouellae vicesimae quartae: Hanc vero legem liber*

*legum*

*legum continebit*, quae rem non diu praeteritam, verum mox futuram indicant.

Quo nomine autem vel titulo Iustinianus suam collectionem insignierit, dubium videri possit, saltim si ad nomina in aucto-ribus supra citatis obuenientia attendamus, in quorum uno Codicem Nouellum, in altero Codicem Nouellarum, rursus in alio *Constitutiones Nouellas* inuenimus. Nobis haec vltima appellatio vera esse videtur, quippe quae non solum cum *CEDRENI* supra allegati verbis: *νεγας διατάξεις ειδάλησε*, verum etiam cum nomine conuenit, quod futurae collectioni suae indere ipse Imperator *Conf. de emend. Cod.* §. 4. pollicitus erat, atque adeo cum titulo, quo *IVLIANVS* opus suum condecorauit. Neminem enim latet, *IVLIANVM*, Antecessorem Constantinopolitanum, proxime post Iustiniani obitum nouellarum Iustinianearum, prius ab se latinitate non ineleganti donatarum, Epitomen consecuisse, cui in omnibus editionibus, et in ea quoque, quam fratres Pithoei ex Codicibus MStis edidere, in fronte titulus est: *Nouellae Constitutiones Imp. Iustiniani*.

Dum mentionem facimus Epitomes Nouellarum Iustiniani a Iuliano conseciae, non possumus nos cohibere, quo minus aliquam conjecturam proferamus, forte a verisimilitudine non plane alienam, certe talem, quae nouam sententiae Hombergianae probabilitatem afferre possit. Scilicet saepe mirati sumus, quomodo factum sit, vt, cum hodie certo sciamus, Imperatorem Flauium Iustinianum centum et duo de septuaginta, vel secundum alios CLXX. nouellas constitutiones consecisse, connumera-tis paucis, quas sunt qui Iustino vel Tiberio tribuant, *B. G.*

B

STR V.



STRVV. hist. iur. C. 3. §. 9. id, quod nemini, qui Corpus iuriis ciuilis hodiernum inspicit, incertum esse potest, tamen modo dictum Iulianum, antecessorem Constantinopolitanum, ipsi Iustiniano coaeuum, paucis post eius obitum annis nonnisi centum ac viginti quinque, vel ad summum CXXVIII. computatis tribus in editione PITHOEORVM recens adiectis, in epitomen redigisse. Initio in eam sententiam incidebamus, Iulianum forte librum suum eo tempore scripsisse, dum nonnisi CXXV. nouellae Iustiniani in lucem emissae essent. Sed reiicienda erat haec opinio, cum tempus editae huius epitomes a singulis historiae iuris scriptoribus, HEINECC. hist. iur. L. I. §. 403. B. G. STRVV. hist. iur. c. 3. §. II. BACH. hist. iur. L. IV. c. I. §. 19. in annum DLXX. ponatur, qui diem Iustiniani supremum quinquennio superat: adeoque poterat, si vellet, singulas Iustiniani post repetitae praelectionis Codicem emissas nouellas latine reddere atque in breuius contrahere. Quapropter, quidnam aliud a veritate non in totum distans, de illa re per coniecturam effici possit? videamus. Primo hoc nobis concedi volumus, in quo neminem forte difficulter reperiemus, Iulianum, dum nouellarum Iustinianearum interpretationem latinam faceret, aliquam earum collectionem ante oculos ac in manu habuisse. Eum enim laborem vix suscepturnus fuisse videtur, si prius ipsi necesse fuisset, singulas Iustiniani post Codicem repetitae praelectionis editas nouellas, in toto orbe Romano dissipatas, et fortassis hinc inde latentes, ingenti labore conquirere. Deinde Iulianus homo privatus erat, qui Constantinopoli ius profitebatur, alienus a re publicae gerendae muneribus, vt adeo ipsi aditus non fuisset

videa-

videatur ad sacra scrinia, vt ex iis constitutiones, ibi forte assertas, sibi compararet. Hoc postremum si factum esset, procul dubio Julianus non delectum habiturus, sed singularum editorum epitomator futurus fuisset, fortassis mentione quoque, quo studio vel beneficio acceperit, praemissa. Quodsi igitur Julianus suum latinum nouellarum librum secundum aliquam graecam earum collectionem confecit, sane necesse est, vt talem haberit, quae nonnisi CXXV. nouellas Iustinianae contineret. Quid igitur impedit, statuere, Julianum ipsam Iustiniani Imperatoris collectionem possedisse, quam, nisi metus esset, nimiae in coniectando audaciae accusari, crederemus ab ipso auctore acceptisse, ad usum scholae iuris Constantinopolitanae, in qua, ut dictum, antecessoris seu doctoris munere fungebatur, et cuius scholae haud paruo studio imperatorem ductum esse, ex Constitutione *Omnem reipublicae* §. 7. ad antecessores patet. Hoc solo igitur conciliari potest, et coniectura elici, cur Julianus in epitomen redegerit nonnisi CXXV. quia scilicet in manibus habebat editionem a Iustiniano profectam, in qua nec plures continentur, et quoniam Imperator collectionem eo iam tempore parauerat, quo plures nondum exstarent, ut mox latius docebitur. Profecto haud ambiguum pro nostra sententia argumentum in ultima nouella cum verbis finalibus totius epitomes Julianae reperisse censemus. Haec vero ultima apud Julianum nouella his solis verbis continetur: *Constitutio CXXV. Quam iam videor conscripsisse in regia ciuitate; quibus mox subiicitur: In eadem constitutione finiuntur Nouellae Constitutiones, quae post Codicem diu minimis Iustiniani promulgatae sunt.* Quis est, qui in priori oratione

B 2

non



non audiat loqui ipsum Imperatorem, in posterioribus vero epitomatorem Iulianum? Hic enim dicere non potuisset: *videor conscripsisse*, sed dicere debebat: *videtur (Iustinianus) conscripsisse*, quemadmodum in altera oratione Imperator dicturus fuisset, *diui numinis nostri*, haud vero *diui numinis Iustiniani*. Quid igitur luculentius, quid clarius, quam in exemplari nouellarum, ex quo Iulianus epitomabatur, ipsum Iustinianum in propria persona locutum fuisse, seu, quod idem, illum *μωρόβιβλον* ab ipso eo profectum fuisse, et Iulianum, dum haec verba suae versioni insereret, descripsisse verba ex libro ab ipso edito. Quod autem ad dicta Iuliani verba attinet, iterum perspicuum est, iis id significari: in constitutione ultimo loco commemorata, antea Constantinopoli conscripta, definire etiam in exemplari ante oculos posito novellas Iustiniani, post Codicem repetitiae preelectionis promulgatas. Siue igitur dictis verbis: *quam iam etc.* indigitetur, ut nobis videtur, nouella inter collationes centesima quadragesima tertia, non minus conscripta, ex rationibus CVIACII L. 18. Obs. 2. not. 33. atque ad hanc Nouell. in edit. Corp. iur. van Loewen Constantinopoli anno DXLVIII. siue, quemadmodum annotatum est in Pithoeorum editione, centesima quinquagesima, procul dubio haud multo post hanc edita, cumque nulla sit alia inter Iuliani epitomatias, quae annum DXLVIII. excedat, probabile est, illum eius Imperatoris archetypum, atque exemplar, ex quo post huius obitum versionem suam et interpretationem Iulianus conscribebat, editum fuisse haud multo post dictum annum DXLVIII. unde confessim appetat, magnum errorem errasse supra nominatos Attaliotam et Blasarem, quando Iustinianum suam Nouellarum colle-

collectionem per Tribonianum procurasse dicunt, qui tamen iam anno DXLV. decepit, HOFFMANN. H. I. T. I. L. II. c. 2. §. 1. not. a.

Sine dubio lectors nostri obseruabunt, Julianum dicere: *In hac constitutione finiuntur Nouellae constitutiones*, quae verba, si vellint, comparentur cum sequenti loco CEDRENI ab HOMBERGIO allegato: τοὺς παλαιοὺς νόμους ἀνενίσσει, ποίησας μονόβιβλον, οὐκὶ ΝΕΑΡΑΣ ΔΙΑΤΑΞΕΙΣ ἐπάλητε, et dicant nobis, numne probabile sit, an minus, Iustinianum ipsum Nouellas suas sub hoc titulo edidisse? Cur vero et quando haec ipsius auctoris collectio interierit, sub incertitudine latet; quamuis haud alienum sit credere, tum epitomen Iuliani cum traditione latina, tum aliam sequenti aevo fecutam, κατὰ πόδα factam, quā nos hodie vtimur, ipsam auctoris collectionem graecam successu temporis obscurasse. Saltim operis Julianei diu tanta auctoritas fuit, vt hoc, non ipsae Imperatoris nouellae, tam iure canonico, quam ab interpretibus allegarentur, vt docuit BOHERIVS apud Pithoeos lib. cit. HOFFMANNVS Hist. Iur. T. I. L. II. c. 2. §. 13. not. f. et RITTERVS ad Heinec. hist. iur. L. I. §. 403. Postremo addendum est, nostram sententiam non omni doctorum consensu destitui, quorum cum HOMBERGIUS nullum nominauerit, nos praeter supra laudatum RITTERVM duos saltim appellemus, alterum decimi sexti, alterum nostri seculi. Ille est ANDR. ALCIATVS celeberrimus ICTus, qui in primis nostrae de Juliano opinioni fauens, Parerg. L. II. c. 46. ita scribit: *Liber nouellarum Iustiniani editus graeco sermone, sed compendiosius et siilo, ut tum tempora ferebant, nou ineleganti. Qui liber adhuc exstat, et nouellae titulo circumfertur, dubio*

B 3

procul

*procul legitimus ip[s]ius Iustiniani partus.* Alter est decus quondam nostrae academie 10. AVG. BACHIVS, qui *hist. iur. L. IV. c. I. §. 21.* sic ait: *Nouellarum collectionem aliquam ab ipso Iustiniano factam esse, quamvis plerique viri docti negent, proprius vero videtur. Utinam utriusque placuisse, rationes suas addere.*

At haec de ista re satis dicta sunt. Redeat nunc oratio nostra ad id, unde initium cepit, nempe ad nominatos in titulo praenobilissimos candidatos, quorum singuli, ut mos est, de acta hucusque vita sua exposuere. Et primo quidem audiamus

VIRVM PRAECLARISSIMVM  
CAROLVM AVGVSTVM BREHMIVM

LIPSIENSE

ADVOCATVM IMMATICVLATVM ET IVRIS VTRIVSQVE

BACCALAVREVM

**L**ucem adspexi in hac urbe patria die xx. Septembr. ccccclxxii, patre CAROLO FRIDERICO, Iuris utriusque Doctore, et mercatoribus Lipsiensibus cauſarum patrono, matre ERDMVTHA SOPHIA, e gente DATHIA; utriusque parentis morte praematura mihi erupti cineres pie veneror, gestio tamen, per diuinam benevolentiam mihi superfitem esse matris fratrem, IOANNEM AVGVSTVM DATHIVM, S. S. Theologiae Doctorem, Linguarum Sanctorum P. P. Seniorem Academie, auunculum et suscepitorem omni maximo pro tot atque tantis in me collatis beneficiis pietatis cultu prosequendum, cui ut Deus vires valetudinem largiatur, ut reipublicae litterariae diu sit ornamento, mihi vero praescitio atque felicitatis fulcro, precari non desino. Prima religionis atque litterarum principia TAGII et HVNDII domesticae institutioni, qui posterior nunc ecclesiae Leutſchenſi praeſet, et cuius singularem fidem expertus sum, debentur. Litteris humanioribus, quibus iuu-

iüuenilis actas infirui solet, sub auspiciis incoliti HOPMANNI, Collegae III. in Schola Thomana, operam dedi, donec ao. LXXIX. b. ZOLLERO fatus gerente, ad Academiam accederem. Iam vero primum graecarum et latinorum linguarum excolendarum causa REITZII, MORI et utriusque ERNESTII scholas frequentavi, in historiae studio b. BOEHMIVM, WENKIVM atque HILSCHIERN sequutus sum, Philosophiae praeccepta CAESAR et PLATNERVS mihi tradiderunt, in mathematicis HINDENBURGIVM, in physicis b. FVNCKIVM praecceptores habui. Accuratiorem Saxoniae Electoralis notitiam ab ARNDTIO accepi. Deinde proprius animum appellens ad Iurisprudentiae studium, in iure ciuili addiscendo WOLLIUM, qui praecclare de me meritus est, POHLIVM, nec non coniunctissimum BIENERVM dices habui, Turis naturalis cognitionem SAMMETIO debeo, in Iure Canonico S. R. DE WINCKLER, qui me singulari patrocinio dignatus est, et Ill. SCHOTTVM audiui, qui posterior etiam disciplinam Iuris Criminalis, Germanici, Saxonici Electoralis, nec non iudicariam formulam mihi tradidit, cuius institutioni praefantissimae, quidquid harum rerum peritiae in me est, omne deberi, non sine gratissimi animi sensu palam profiteor. In iure clientelari RAVIVM et PVITTMANNVM praecceptores natus sum. In iure publico b. SEGERVM, in arte relationes ex actis faciendi PVITTMANNVM et KEESIVM, in medicinae legatis studio, quo in primis delectabar, PLATNERVM auctiores habere mihi contigit. Praeterea exercitationibus examinatoriis atque disputatoris WOLLI, STOCKMANNI et BIENERI interfui. Absoluto curriculo academico a. LXXXIII. disputationem: De Probatione ex Libro Mercatoris a me conscriptam, moderante S. R. BAVERO, I. F. I. Seniore, publice defendi. Quo facio, ut primos in iure honores capesserem, Illustrem ICtorum ordinem adiui, qui praelectionibus pro Candidatura publice habitis binisque ex actis speciminiis elaboratis, superato examine pro Praxi et pro Candidatura optimo elogio exornatum Iuri Viriusque Baccalaureum renunciavit, meque prae ceteris dignum, cui potestas causas in foro orandi concederetur,

████████████████████

deretur, iudicauit. Eodem anno ab Amplissimo Senatu Lipsiensi, Magnifico WENDLERO tunc prima vice fastes consulares tenente, cuius singularē munificentiam atque benevolentiam in me non possum non debitis laudibus celebrare, Notarius creatus et a supremo regimine, quod Dresdæ est, confirmatus, nec multo post confessis atque probatis pro praxi iuridica specimenibus in numerum Aduocatorum per Serenissimi Principis benignitatem receptus sum. Ad altiora progrediens, a. LXXXVI. praelectionibus pro Licentia recitatis, examen rigorosum subiit. In quo cum Illustris Ordinis suffragia tulisse, nuper vero d. XVII. Iulii c. a. dissertationem: De Delictis Exceptis publice defendisse, explicatis insuper e cathedra iuridica Cap. 9. X. de Praescript. nec non L. 7. C. de Acquir. et Retin. Possessione, eundem Ordinem Illustrem, ut summos in Iure honores consequerer simulque, also Doctorum ad Facultatem adscriberer, supplex adiit.

Hunc sequatur

VIR PRAECLARISSIMVS  
CHRISTIANVS GOTTLIEB HAVBOLD

D R E S D E N S I S  
ARTIVM LIBERALIVM MAGISTER ET IVRIS VTRIVSQUE  
BACCALAVREVS

**P**atrem habui GEORGIVM GOTTLIEB, qui, Electorali Museo instrumentorum artis physicae et mathematicae praefectus, suscepit me Dresdæ, anno clocc LXVI. e IOANNA SOPHIA BAETKIA, quibus quidem parentibus nullo modo meliores meue amantiores nancisci me potuisse, gratissimo animo profiteor. Postquam pater, factus in hac litterarum uniuersitate Professor Physices, anno LXXI. Lipsiam transmigrauerat, primam statim pueritiam meam dedit erudiendam KEILIO, nunc A. M. Insequens annus orbauit me patre,

patre, viro optimo, cuius manes mecum boni omnes lugent: neque potuisse  
 sem equidem tantae calamitatis maius experiri lenimentum, quam quod, qui  
 patrem dilexerat BOEHMIVS, obtulit se mihi tutorem. Nam ab hoc ea  
 cura et liberalitate habitus sum, ut, perdidisse me patrem, doluerim tantum,  
 non et senserim. Omnim autem BOEHMII beneficiorum illud maxime prae-  
 dico, quod ab eo in disciplinam traditus sum HELDIO, A. M. qui nunc in  
 Schola Nicolaitana docet: cui in primis a me deberi profiteor, si quid in litt-  
 erarum studiis profecerim. Institutus sum autem ab anno LXXIII.  
 etiam publica disciplina scholae Nicolaitanae, ubi praecettores gradatim  
 habui FORWERKIVM, BEHRINGERVM, b. HVIBSCHMANNVM, FORBI-  
 GERVM et MARTINIVM, quorum omnium valde laudo operam atque huma-  
 nitatem, MARTINII autem in primis, Reffloris, et FORBIGERI, Coureflo-  
 ris, fauorem et benevolentiam. Quo tempore abiturus e schola eram, quanto  
 grauius me vulnerauit mors BOEHMII inopinata, tanto salubrius sanatum  
 id vulnus partim, quod tutela aetatis meae suscepta est a KRAVSIO, Medi-  
 cinae Doctore ac Professore, quem ob merita grati animi voluntate remune-  
 ror, partim, quod mater circa id tempus concessit in matrimonium VDALR.  
 CHRISTI SAALBACHIT, qui nobilem officinam typographicam in hac vrbe  
 exercet, cuius vitrici magnam erga me amoris benevolentiam semper sum ex-  
 pertus. KRAVSI hortatu ciuis Academicus factus anno LXXI. b. CLO-  
 DIO Refflore Magnifico, philosophiam colui ductu SEYDLITII, PEZOLDI,  
 PLATNERI, WIELANDI; graecos et latinos auctiores interpretantibus ad-  
 sedi MORO, A. GV. ERNESTIO, b. CLODIO et REIZIO, cuius in me huma-  
 nitatem mirifice praedico. In mathematicis praeiuit mihi GEHLERVUS, Cu-  
 riae supremae prouincialis Adfessor, et urbis nostrarae vir senatorius; in hi-  
 storicis autem WENKIVS, BECKIVS et WIELANDVS. Ad iurisprudentiam  
 delatus institutus sum in Encyclopaedia iurium a STOCKMANNO, in iure  
 naturali et publico vniuersali a SAMMETO, sene venerando, quem potuisse  
 me sequi magistrum, militem ipse gratulor. Iuris civilis praecettores fue-  
 C runt

runt mihi praeter eundem SCHOTTVS, rerum mearum magnus fautor, qui et consiliis et ope plurimum me adiuvit, BIENERVS et b. HEBENSTREITIVS; historiae iuris litterariae SAMMETVS, nec non artis interpretandi idem et RICHTERVS, cuius in me beneficia magnificatio. In iure ecclesiastico sequetus sum SCHOTTVM, in iure Germanico et criminali eundem, in feudali BIENERVM, in cambiali PVITTMANNVM, in Saxonico IO. AD. THEOPH. KENDIVM. Doctrinam rei iudicariae tradidit mihi tum idem KENDIVS, tum in scholis peculiaribus Vir Generofissimus et Summe Reuerendus, DE WINCKLER, cuius patrocinium incomparabile mihi contigisse tantopere laetor, ut has ipsas litteras publicas cupiam esse publicum meae in fautorum summum reverentiae ac pietatis monumentum. Denique et in arte relatoria ab eodem Viro Generofissimo sum institutus. Absoluto vitae academicae cursu, postquam mensa Nouembri anni CIOECLXXXI. ab Amplissimo Philosophorum Ordine magisterii honores impetraveram, defendi non diu post in auditorio ICtorum, praeside Gener. DE WINCKLER, partem priorem libelli a me conscripti, de differentiis inter testamentum nullum et in officiosum; habitisque sub initium anni sequentis lectionibus iis, quae pro Candidatura vocantur, super Cap. 5. X. de praescript. et L. 3. C. de iure deliber. ab Illustri ICtorum Ordine primam iuris lauream, praevio tentamine, accepi, et omnino ac prae ceteris dignus iudicatus sum, cui facultas caussas in foro orandi concederetur, et, reliquis speciminibus defuncto, summi in utroque iure honores conferrentur. Quum deinde eodem anno Notarius publicus Caesareus ab Amplissimo Senatu Lipsiensis creatus atque a supremo Regimine Dresdeni confirmatus essem, vindicaui mense Septembri A. LXXXVI. iura magisterii Lipsiensis disputatione e cathedra Philosophorum superiore defensa, quam de Legibus maiestatis populi Romani latis ante Legem Iuliam scripsoram. Mox scholis iuris, in primis ciuilis, apertis, recitatisque, quas pro Licentia dicunt, lectionibus publicis, super Cap. 2. X. de offic. archidiac. et L. vn. C. de priuileg. vrb. Constantinop. superauit examen, quod vocant, rigorosum;

et<sub>3</sub>

*et, quam exente superiore anno RVD. HOMMELIVS, A. M. mihi amicissimus,  
specimen doctrinae e cathedra Philosophorum edidisset, gratulatus sum illi id  
ipsum, Commentatione amicorum nomine scripta de ritu obuagulationis  
apud Romanos.*

*Possquam vero d. x. Iuli huius anni de Consistorio Principum Specimen iuris Romani publici inaugurale publice defendi, et solennes lectiones pro Gradu super Cap. vlt. X. de condit. appos. in despōst. et L. 13. C. de nuptiis habui; adii Illustrem ICtorum Ordinem precibus obseruantissimis, ut conferret mihi summos in utroque iure honores, quales optima lege tribuuntur, suisque in me meritis adderet hoc fastigium splendidissimum, quod, dum quidem spirare potero, aeterna pietatis memoria colam.*

Ex his videant Lectores nostri, vtrumque tempus suum in scholis et academia laudabiliter impendisse, in primis vero omne studium suum in iurisprudentia addiscenda collocasse, nec non nobilissimae disciplinae pleno potu haustae specimina iam edidisse. Quid igitur mirum, quod nunc etiam eosdem dignis praemiis condecorauimus. Sciant enim Lectores et per haec cognoscant, nos hesterno die in hos doctissimos Candidatos rite ac more maiorum Iura et priilegia Doctorum iuris vtriusque non solum contulisse, sed etiam spem ipsis fecisse, vt aliquando, ordine ita ferente, in nostro Collegio affideant, atque adeo inter eos Doctores, qui hac spe legitime fruuntur, recepisse. Idque eo lubentius fecimus, quo vñus erat singulorum nostrorum animus, esse hos tales viros, a quibus ob singularem ipsorum eruditioñem ac fidem respublica optima quaeque exspectare possset. Huius rei in maiorem fidem praeter singulas vnicuique datas



diplomatū tabulas, etiam haec scribi et sigillum nostrum apponi curauimus. Dat. Dominica X. post Fest. Trinit. A. C.  
ccccclxxxviii.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA SAALBACHIA.



**ULB Halle**  
005 482 992

3



1078



